INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE IX APRILIS ANNI MDCCCLXVI

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **DR. ANDR. THIEL** DE DECRETALI GELASII PAPAE DE RECIPIENDIS ET NON RECIPIENDIS LIBRIS ET DAMASI CONCILIO ROMANO DE EXPLANATIONE FIDEI ET CANONE SCRIPTURAE SACRAE ARTICULUS III.

BRUNSBERGAE,

TYPIS HEYNEANIS.

1866

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

D^R. ANDR. MENZEL,

PROF. PUBL. ORD.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

De decretali Gelasii papae de recipiendis et non recipiendis libris, et Damasi concilio Romano de explanatione fidei et canone scripturae sacrae.

Articulus III.

Caput II.

Nostra de hoc decreto sententia.

1. Religiosissime disputationem doctissimam Coustantii produximus, nihil subtrahentes, pauca tantum, ubi quid supplendum aut corrigendum videbatur, in notis monentes. Ita prudens lector argumentorum pondus ipse pensabit, nec suspicionem in nos feret, si vestigia probatissima hac in re deseruerimus. Illud quidem vir ingeniosissimus optime enucleatus est, quomodo et quatenus Hormisdae inscriptio admittenda sit. Idem fere universim postero tempore Ballerinii („De antiquis collectionibus et collectoribus canonum“ p. II. c. 11 §. 5) effecerunt, etsi textus recensionem exinde discernere non similiter potuerunt. Etiam id facile quisque concesserit, notam chronologicam in editis temere additam, et alia ex parte Damasum, prout in Regio Parisiensi 3887. 3, Frisingensi s. Emmerani (utroque saeculi VIII codice) et Casanatensi D IV. 23 (saeculi XI) habetur, minime totius decreti auctorem esse. Sed quae deinde vir doctissimus de Gelasio ejusdem auctore statuit, in iis sententiae ipsius accedere non possumus.

2. Primum enim huic sententiae nulla fere vetusti codicis auctoritas suffragatur. Coustantius ipse nullum codicem nactus est, qui id aperte proferret. Nam, quem sequitur, Regius Parisiensis 3887. 3 totum Damaso inscribit perperam; Harlaeanus autem, minoris ut videtur notae codex, qui Gelasio adscribit, tantum fragmentum ejusdem praebet ab illis verbis: Item dictum est: Post has omnes propheticas etc. In quo Gelasii nomen pro Damasi sola incuria aut correctione librarii irrepsisse eo magis credendum est, quo Veronensis 61 (saeculi IX vel X codex) eamdem prorsus formam proferens cum dicto Regio Damaso tribuit. Nec nobis ullus ejusmodi codex notus. Quippe Frisingensis et Casanatensis, quos modo diximus, codices cum Regio concinentes totum Damasi nomine insigniunt. Alii autem omnes, ut infra visuri sumus, Gelasio decretum istud aut a canone scripturae sacrae aut a sedium patriarchalium distinctione tantum incipiens inscribunt.

3. Sed accedunt ex ipsis iis, quae ibidem initio proferuntur, contra Gelasium haud leves difficultates. Nulla enim ex hujus pontificatu causa nota est, cur de Spiritu sancto, nulla, cur de canone scripturae sacrae synodaliter tractandum esset. Immo hoc ipsum fere illius tempus deserendum, ad Damasi potius aetatem descendendum suadet. Deinde in probatissimis codicibus locus de Johannis epistolis ita legitur: Johannis apostoli epistola I. Alterius Johannis presbyteri epistolae II. Quae quidem s. Hieronymi sententia canone nondum stabilito Damasum illi conjunctissimum movere poterat; Gelasius vero post saecularem fere totius Ecclesiae alium consensum, post synodorum Africanarum et decessorum suorum (praeprimis Innocentii I. epist. 6) constituta tres illas epistolas Johanni apostolo adscribentia ad illam redire vix aut ne vix quidem potuit. Unde illam partem decreti, qua de Spiritu sancto et de canone scripturae sacrae agitur, Gelasio non possumus non abjudicare.

4. Ut vero jam certiorem formam decreti hujus assequamur et quod cuique tribuendum sit dignoscamus, illius prospectum quemdam ex codicibus delineatum exhibere juvat. Simul ibi singulorum exemplarium inscriptiones optime adjungentur, quibus critica de auctore quaestio haud parum lucidatur. Totum opusculum igitur, quatenus manuscriptis praebetur, has quinque partes complectitur: I. de Spiritu sancto; II. de canone scripturae sacrae; III. de sedibus patriarchalibus; IV. de synodis oecumenicis (ibique alii cum additamento de synodo Constantinopolitana et si qua alia concilia etc., id quod nos litteris c. s. Ct. adnotabimus); V. de libris recipiendis et rejiciendis. Haec ergo tabula illius formam secundum singulas codicum autoritates notis brevibus repraesentat:

1 Damaso:	I^a	II^b	III^c	IV^d	V^e	F^a Y^c *Φ*
2 Damaso:	I	II	III	IV	V (— I. Chron. Eus.)	F^1
3 Damaso:	I	II	III	—	—	F^2 H^8
4 Damaso:	I^f	—	—	—	—	F^m
5 Damaso:	—	—	III^g	IV	V	Y^b
6 Damaso:	—	II^h	III	IV	V	H^d
7 Gelasio:	—	II^i	III	IV	V	F^m Y^v X^k
8 Gelasio:	—	II^k	III	IV	V (c. a. om.)	O^2 O^v Y^h $O^m c^1$
9 Gelasio:	—	II^l	III	IV c. s. Ct.	V	Y^o R
10 Gelasio:	—	—	III^m	IV	V	F^2 H^8
11 Gelasio:	—	—	III^n	IV	V (c. a. om.)	C^1 C^2 F^v O^1 (F^c?)
12 Gelasio:	—	—	III°	IV	V	C^1 D^i F^g K^3 K^4 O^3 O^8 O^{11} *Γ*
13 Gelasio:	—	—	III^p	IV c. s. Ct.	V. (c. a. om.)	X^1
14 Gelasio:	—	—	III^q	IV	V	H^3
15 Hormisdae:	—	II^r	III	IV c. s. Ct.	V	I^c I^{16} X^c I^h
16 Hormisdae:	—	II^s	III	IV	V	I^v I^p

a) F^a Y^c F^1 F^2 H^8 Incipit concilium urbis Romae sub Damaso Papa de explanatione (Y^c explicatione) fidei. Dictum est: Prius agendum de Spiritu septiformi etc. usque ad annuntiabit vobis, ut apud Holstenium coll. Rom. I, 178. Ex ejusdem generis codice excerpsit collectio Anselmo dedicata (*Φ*), nostrum

5. In hac igitur summa codicum varietate sex fere decreti nostri formae dantur. Prima est illa, quae totum decretum praemissa de Spiritu sancto parte auctum sub nomine Damasi exhibet (tab. n. 1 et 2, fragmentum ejusdem l. c. n. 5, 6 et mutato nomine n. 14); altera, quae tres partes priores (tab. n. 3); tertia, quae primam tantum Damaso tribuit (tab. n. 4); quarta, quae decretum a secunda parte Gelasio (tab. n. 7, 8, 9); quinta, quae paucis mutatis idem Hormisdae inscribit (tab. n. 15 et 16); sexta denique, quae illud a tertia parte Gelasio insignit (tab. n. 10—14), partim simul

---

decretum lib. X c. 108 ita proferens: De eadem causa (scil. Qui libri in canone recipiantur) concilium urbis Romae sub Damaso P. Nunc vero descripturis etc. usque ad fin. cap. III. credimus esse subdenda.

b) FaYcF¹F²H⁸ Item dictum est: Nunc vero de scripturis divinis agendum est, quid universalis catholica recipit (FaYc recipiat) Ecclesia et (F¹ vel) quid vitare debeat. Incipit ordo veteris testamenti Genesis liber I etc. Ibique postea cum Fm Johannis apostoli epistola I. Alterius Johannis presbyteri epistolae II.

c) FaYcF¹F²H⁸ Item dictum est: Post has omnes propheticas et evangelicas atque apostolicas, quas superius deprompsimus, scripturas etc. usque ad exortum est, ibique F²H⁸ finiunt decretum Damasi.

d) FaYc F¹ Et quamvis aliud fundamentum etc. ut in c. II.

e) FaYc F¹ Item opuscula b. Caecilii Cypriani etc. ut in c. III. Sed F¹ jam in illis de Origene dicimus renuenda desinit, alii usque ad finem confitemur esse damnata perducunt.

f) Fm Incipit concilium urbis Romae sub Damaso Papa de exemplaribus fidei et de recipiendis et non recipiendis libris. Prius agendum est de Spiritu septiformi etc. usque ad annuntiabit vobis.

g) Yb De concilio in urbe Romana sub Damaso Papa edito. Post has omnes propheticas etc. ut in FaYc, atque ad finem: Explicit concilium sub Damaso Papa.

h) Ita monet Hard. coll. conc. II, 937, et hunc codicem a Dacherio collectionis Dionysianae putari; sed amplius nihil mihi notum est.

i) FmXkYv Incipit decretum de abjiciendis et recipiendis (XkYv recipiendis et abjiciendis) libris, quod scriptum (XkYv factum) est a Gelasio Papa cum LXX eruditissimis viris episcopis in sede apostolica in (XkYv om. in) urbe Roma. Et subjicitur canon scripturae sacrae: Ordo veteris testamenti. Genesis et reliqua usque ad illa n. 8 Opuscula Fausti Reg. Gall. apocrypha, in XkYv autem usque ad finem.

k) O²OmXv c¹ Ordo veteris testamenti, quem sancta et catholica Romana suscipit et veneratur ecclesia (Om Ordo de sacris libris) digestus a Gelasio Papa cum LXX episcopis. Genesis etc. Sed deinde secunda pars ita inchoatur: Incipiunt decreta Gelasii Papae. Decretum cum LXX episcopis habitum de apocryphis scripturis. Post propheticas etc. Ibique post Calchedonensem synodum addit O²c¹ et si qua sunt concilia etc. Eadem forma in omnibus omnino Pseudo-Isidoriannae collectionis exemplaribus praebetur, quae Hinschius in prolegomenis ad ejusdem editionem adornatis (pag. LXVII) classi C adtribuit: Montepessulano H. 3 (saec. XII) et H. 13 (saec. XIV.), Parisiensi B. 19 (saec. XIII), Vat. 1340, s. Marci Veneti Zanetti 168 (XCIV. 3.) et 169 (LXIV. 3) (saec. XV). Similiter et vel apertius distinctionem Parisiensis Harduini notat hac inscriptione: Notitia sacrarum scripturarum seu librorum canonicorum cum descriptione vel adnotatione Gelasii Papae.

l) YoR eadem inscriptione insigniunt, quae XkYv (vid. not. i); sed addunt in parte IV illa de synodo Constantinopolitana et aliis synodis.

m) F²H⁸ Incipit decretalis de recipiendis et non recipiendis libris, qui scriptus est a Gelasio Papa cum LXX viris eruditissimis episcopis in sede apostolica urbis Romanae. Post propheticas et evangelicas etc., ut in editione nostra.

n) Fv Incipit decretale sancti Gelasii Papae urbis Romae. Post propheticas etc., ut in ed. nostra. C² Incipit decretale ab urbe Roma editum de recipiendis sive non recipiendis libris

tres priores particulas Damaso amandans (conf. tab. n. 10 et 3). — De falsitate primae formae jam nihil addendum est, quae scripta non pauca pontifici fere ante saeculum mortuo lustrata supponit. Sed nec illam Gelasio dare, nullo codice suffragante et textu ut supra vidimus repugnante, ullo modo possumus. Deinde autem illam secundam formam cum optimis codicibus Vaticanis 5845 et 1353 ac Vallicellano A 5 Damaso quin tribuamus, nihil vetat. Nam nec chronologicus ordo obstat, et quae ibi de Spiritu sancto nominibusque Christi ac de canone et sedium patriarchalium

---

factum. Synodum sub Gelasio papa urbis Romae cum LXX episcopis. INCIPIT PROLOGUS. Ad discutiendas vel intelligendas scripturas, quas in Novo vel in Veteri Testamento editas, illud apostolicum nobis convenit servare eloquium: **Prophetias**, inquit, **nolite spernere; omnia autem probate**: ut plenius Dei operatione credamus illas esse conditas, quas de adventu Domini ac nativitate vel passione ipsius et resurrectione certissime fuisse locutas, per quas enim nos credimus esse salvatos. Ibi intelligimus illud, ubi dixit: **Quod bonum est tenete**, ad repellendas vel a catholicis renuendas Scripturas esse cognovimus, quas etiam vir eruditissimus Hieronymus repudiavit esse damnatas, sufficit nobis dicere, ut ab omni specie mala abstineamus. Post propheticas et evangelicas atque apostolicas etc. ut in ed. nostra. Denique O[1] Incipit decretum Gelasii Papae, quod in urbe Roma cum LXX eruditissimis episcopis conscripsit. Post propheticas etc. Fc praemittit canonem veteris et novi testamenti, tacito nomine Gelasii: Incipit ordo librorum veteris testamenti quos sancta et catholica romana suscipit et veneratur ecclesia. Hoc absoluto pergit: Incipit decretale sancti Gelasii episcopi urbis rome. Post has omnes propheticas et evangelicas atque apostolicas quas superius depromsimus scripturas quibus ecclesia catholica per gratiam dei fundata est etc. In sequentibus, ut notat Denis („Codices manuscripti theol. Biblioth. Palat. Vindob. latini" vol. II cod. CCCX), longe magis ad exemplar Chiffletianum quam ad Vaticanum Fontanini accedit.

o) Teste Coustantio hi codices omnes inscribuntur: In Christi nomine Incipit decretale editum de recipiendis sive non recipiendis libris (C[1] autoribus), quod scriptum est a Gelasio Papa urbis Romae cum LXX eruditissimis viris episcopis. Post propheticas etc. ut in edit. nostra. Quibus fere concinunt Mss. O, quos Hinschius primae classis ponit, et V[1] V[2]: In Christi nomine incipiunt decreta de recipiendis et non recipiendis libris, quae scripta sunt a Gelasio Papa cum LXX eruditissimis viris episcopis in sede apostolica urbis Romae. Post propheticas etc. In Mss. O tertiae classis eadem brevius: (Incipit Gelasii) decretum cum LXX episcopis habitum de apocrifis scripturis. Post propheticas etc.

p) Inscriptio X[1] prorsus eadem, quae in Mss. O (prim. class.) V[1] V[2]. Sed post Calchedonensem synodum illa de synodo Constantinopolitana et aliis conciliis adduntur, et canones apostolorum inter apocrypha omittuntur.

q) H[3] Incipit decretale de recipiendis libris, quod scriptum est a Gelasio Papa cum LXX eruditissimis episcopis in sede apostolica in urbe Romana. Item dictum est: Post has omnes propheticas et evangelicas atque apostolicas quas superius depromsimus scripturas, quibus etc. (ut in edit. nostra.)

r) Ic Xc Incipit decretale in urbe Roma ab Hormisda papa editum de scripturis divinis, quid universaliter catholica recipiat Ecclesia, vel post haec quid vitare debeat. Ordo de Veteri Testamento, quem sancta et catholica Romana suscipit et honorat Ecclesia iste est: Genesis etc.... Item ordo Scripturarum Novi et Aeterni Testamenti. Evangeliorum libri IV etc.... Post has omnes propheticas et evangelicas atque propheticas, quas superius depromsimus, scripturas, quibus etc., addens tamen illa de synodo Constantinopolitana et aliis conciliis. Similiter Harduinus sub calcem decreti (coll. conc. II, 942) adnotat, in Ms. suo claudi: Explicit decretale editum ab Hormisda Papa urbis Romae.

s) Iv in tabula titulorum Nr. 102 post s. Gregorium subjicit: Decreta Romanae sedis de recipiendis et non recipiendis. Etsi decretum ipsum in corpore hujus codicis desit, tamen Perezius in Ip (Vat. 4587), ubi notitiam manuscriptorum auctioris collectionis Hispanicae dedit, se in omnibus Mss. invenisse testatur: Decreta Romanae sedis de recipiendis et non recipiendis libris ab Hormisda Papa edita.

auctoritate proferuntur, optime cum illius pontificis tempore conveniunt, immo jam dudum in ejusdem documentis quodammodo desiderabantur. Tertia forma, quae sub Damasi nomine solam primam partem de Spiritu sancto exhibet, nihil curanda. Nam ipsa inscriptione (conf. not. f) proditur, illud nonnisi fragmentum longioris decreti esse, et in genuina forma quaedam addita fuisse. Nec ullum scrupulum quinta forma movet, quominus cum Coustantio eam Hormisdae tribuamus. Omnis igitur difficultas in forma quarta et sexta posita est, utra earum potius Gelasio adscribenda. Primum si conferantur codicum alterutram formam praebentium auctoritates, codices quartae formae vix concurrere possunt. Solum Florentinum s. Marci exemplar a Blanchino editum alicujus momenti esse videtur. Sed quod ibi decretum divisum (tab. n. 4), et priori parti sub Damasi nomine ea inscriptio imposita est, quae jam secundam sibi et ipsam adserendam postulet (conf. not. f.), haud temere suspicio adest, non primariam ibi formam praeberi, sed correctricem manum a librario exemplari suo admotam et genuinam formam transformatam esse. Alii sunt sequioris ordinis et aetatis codices, qui videlicet post Pseudo-Isidorum excerpta undequaque congesserunt; quales sunt Vaticani 1339, 1340, 1349, Vatican. Palatinus 584, Venetus s. Marci 169, Vallicellanus XVIII, Burchardus. Qui simul partim recensionem Hormisdae exemplarium aperte produnt, in canone divinarum scripturarum Johannis apostoli epistolas III[t] scribentes ac deinde particulam de synodo Constantinopolitana et aliis conciliis[u] addentes; partim ipsi librorum genuinorum fidem quodammodo notant, quum canonem scripturae sacrae proprio titulo a sequenti decreti corpore quasi[v] discernant. Quapropter fides ipsorum jam per se valde sublesta et vacillans probatissimorum codicum auctoritates minime labefactare potest, immo his ipsa potius prorsus destruitur. Unus scrupulus remanet, quod, si secunda forma Damaso sexta Gelasio vindicetur, Gelasius initio longiorem periodum praedecessoris sui non memorato ejus nomine repetiisse videtur, id quod de pontifice disertissimo vix credendum dicatur. Sed hoc tantum non esse, ut codicum auctoritates rejiciat, facile concesserit, quisquis ejusmodi repetitiones praesertim de rebus juris quotidiani in pontificiis epistolis et ipsis in Gelasii scriptis haud inusitatas esse perspexerit. Si quis autem inde hanc quoque particulam principaliter Gelasii esse, ad Damasum non nisi incuria librarii translatam posuerit, haud multum oppugnabimus, ipse ejus rei judicium periculumque sustineat. Nobis quidem illud Item dictum est, quo haec pars antecedenti in omnibus illis codicibus additur, quoque aperte synodus notatur, aliquatenus postulare videtur, ut eadem Damaso principaliter adjudicetur.

6. Si autem tandem unde tanta rerum confusio nata sit quaeramus, vix dubitandum, quin partim Hormisdae recensio, partim illa Gelasii ex textu Damasiano repetitio in causa fuerit. Hinc enim larga librariis occasio data est, ut nominum inscriptorum et recensionis diversitatem non animadvertentes aut ejus vim et originem parum perpendentes, alius alio facilius infeliciusque augerent, detraherent, interpolarent, corrigerent. Siquidem alius quum Damasianum decretum ex

---

t) Ita omnes isti codices tab. n. 7—9, exceptis FmXk.

u) Ita RYo.

v) Ita codices tab. n. 8 (conf. not. k). Similiter libri Carolini I, 6 discernere videntur, quum solum pro doctoribus suscipiendis Gelasium vel ceteros illius sanctae sedis pontifices appellent, pro scripturis canonicis universim sedem apostolicam.

parte a Gelasiano exceptum (aut certe in Hormisdiano fere conveniens invenisset), utrumque mancum et illud ex hoc compensandum ratus, non pensata nominum varietate praeceps totum Damaso adscripsit: ita Regius Parisiensis 3887. 3, Frisingensis s. Emmerani, Casanatensis D IV. 23 (tab. n. 1 et 2). Alius Gelasianum exemplar cum Hormisdiano conferens, illud ex hujus capite auxit: ita codices tabulae n. 8; ubi quidam simul textum ex Hormisda corrigendum duxerunt: ita Vatic. Palatinus 584, Burchardus (tab. n. 9). Alii tale exemplar Damasianum auctum nacti, pro usu suo vel ex similitudine aliorum excerpserunt, idque aut pure (ita Dacherianus et Veronensis 61), aut ita, ut simul nomen, quod in hac quidem parte erronee appositum vix latere potuit, mutarent (ita Harlaeanus). Alii denique hunc errorem statim animadvertentes, ejusmodi exemplar diviserunt, priorem partem ex prima inscriptione Damaso, alteram ex similitudine aliorum codicum Gelasio tribuentes (ita Florentinus s. Marci). Nec qui genuinam formam retinebant, ab omnibus prorsus quas putabant correctionibus ex Hormisdae exemplaribus abstinebant, ut palam fit in Vaticano 3832, partim etiam in Lucano 88, Vallicellano A 5 et XVIII. His igitur librariorum erroribus detectis formam pristinam ex optimis codicibus Germanensi Fortunati, Vaticano Palatino 493, Colbertinis 784 et 3368, Vaticanis 5845 et 1353, Vallicellano A. 5, Lucano 88, Remensi s. Remigii, Vaticano 630 et aliis Pseudo-Isidori ita proferemus, ut simul pro textu constituendo alia exemplaria examinare non omittamus.

Damasi[a] papae concilium Romanum de explanatione fidei.

Incipit concilium urbis Romae sub Damaso papa de explanatione fidei.

Cap. I.

1. Dictum est: prius agendum est de Spiritu septiformi, qui in Christo requiescit. Spiritus
1 Cor. 1, 24. *sapientiae: Christus dei virtus et dei sapientia; Spiritus intellectus: intellectum dabo tibi*
Psalm. 31, 8. *et instruam te in via, qua ingredieris; Spiritus consilii: et vocabitur nomen ejus magni*
Is. 9, 6. *consilii angelus; Spiritus virtutis: ut supra dictum est, Christus dei virtus et dei sapientia;*
Phil. 3, 8. *Spiritus scientiae: propter*[b] *eminentem scientiam Jesu Christi, ut ait apostolus; Spiritus*
Joh. 14, 6. Psalm. 110, 10. *veritatis: ego vita et veritas; Spiritus timoris: initium sapientiae timor domini.*

a) Primam hujus concilii partem (scil. n. 1 et 2) sub inscriptione Ex concilio urbis Romae sub Damaso papa de explanatione fidei ex Vaticano 5845 (ut videtur) protulit Lucas Holstenius („Collectio Romana." Romae 1662 tom. I p. 178 sq.), quaedam fragmenta (ni fallor ex Vaticano 1353 et Vallicellano A. 5) etiam Baronius ad ann. 69 et 382. Nos hoc loco totum illud concilium ex dictis codicibus producimus, ex Regio Parisiensis 3887. 3 pluribus mendis liberatum.

b) F^2 H^8 a^2 eminentiam scientiae Jesu Christi (secundum Eph. 3, 19) (F^2 statim add. apostoli, omiss. ut ait).

2. *Multiformis*[c] *autem nominum Christi dispensatio est: Dominus, quia spiritus; Verbum, quia deus; filius, quia unigenitus ex patre; homo, quia natus ex virgine; sacerdos, quia se obtulit holocaustum; pastor, quia custos; vermis, quia resurrexit: mons, quia fortis; via, quia*[d] *rectus; ostium, quia per ipsum ingressus in vitam est; agnus, quia passus; lapis, quia structio angularis; magister, quia ostensor vitae; sol, quia illuminator; verus, quia a Patre; vita, quia creator; panis, quia caro; Samaritanus, quia custos et misericors; Christus, quia unctus; Jesus, quia salvator; Deus, quia ex Deo; angelus, quia*[e] *missus; sponsus, quia mediator; vitis, quia sanguine ipsius redempti sumus; leo, quia rex; petra, quia firmamentum;*
flos, quia electus; propheta, quia futura revelavit. Spiritus enim sanctus non est Patris tantum- 1 Joh. 2, 15.
modo aut Filii tantummodo spiritus, sed Patris et Filii spiritus. Scriptum est enim: si quis Rom. 8, 9.
dilexerit mundum, non est Spiritus Patris in illo. Item scriptum est: quisquis autem
Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Nominato itaque Patre et Filio intelligitur Joh. 15, 26 et
Spiritus sanctus, de quo ipse Filius in evangelio dicit, quia Spiritus sanctus a Patre procedit, 16, 15.
et de meo accipiet et annuntiabit vobis.

Caput II.

3. *Item dictum est: nunc vero de scripturis divinis agendum est, quid universalis catholica recipit Ecclesia vel quid vitare debeat.* **Incipit ordo veteris testamenti.**

Genesis liber I. Exodi[f] *liber I. Levitici liber I. Numeri liber I. Deuteronomii liber I. Jesu nave liber I. Judicum liber I. Ruth liber I. Regum libri IV. Paralipomenon libri II. Psalmorum CL liber I. Salomonis libri III: Proverbia liber I, Ecclesiastes liber I, Cantica canticorum liber I. Item Sapientiae liber I. Ecclesiasticus liber I.*

Item ordo prophetarum. *Esaiae liber I. Jeremiae liber I cum Chinoth id est Lamentationibus suis. Ezechielis liber I. Daniheli liber I. Oseae liber I. Amos liber I. Michaeae liber I. Joel liber I. Abdiae liber I. Jonae liber I. Naum liber I. Abbacuc liber I. Aggaei liber I. Zachariae liber I. Malachi liber I.*

Item ordo historiarum. *Job liber I, ab aliis omissus. Tobiae liber I. Hesdrae*[g] *libri II. Hester liber I. Judith liber I. Machabaeorum libri II.*

4. **Item ordo scripturarum novi et aeterni testamenti, quem catholica sancta Romana suscipit et veneratur Ecclesia id est:** *Evangeliorum libri IV: secundum Matthaeum liber I, secundum Marcum*

---

c) Yc Item de multiformi dispensatione nominum Christi. Deinde $F^2H^8a^2$ Christus Verbum quia dei filius quia unigenitus. De propria hac significatione spiritus conf. Hilarius in psalm. 129 n. 3.

d) Iidem rectus (F^2 add. quia) per ipsum ingressus in vitam agnus etc. Moxque lapis angularis quia instructio magister.

e) Cum F^1 missus.... ipsius... quisquis... intelligitur, ubi alii nuntius... ejus... qui... intelligi.

f) H^8 Exodus (et sic semper casu primo)... Psalterium liber I... Hieremiae liber I cum Cinoth. Hiezechihel.. Danihel.. Johel.. Job liber I Tobias... Hester liber I. Hesdrae libri II. Statimque post evangelia Epistolae Pauli n. XIV, deinde Item Apocalypsis Johannis apostoli liber I. Actus apostolorum liber I. Item epistolae canonicae numero VII etc.

g) F^1 *Γ* liber unus, *Γ* etiam Machabaeorum liber I, ex mero ut videtur librarii lapsu.

liber I, secundum Lucam liber I, secundum Johannem liber I. Item Actuum apostolorum liber I. Epistolae Pauli apostoli numero XIV: ad Romanos epistola I, ad Corinthios epistolae II, ad Ephesios epistola I, ad Thessalonicenses epistolae II, ad Galatas epistola I, ad Philippenses epistola I, ad Colossenses epistola I, ad Timotheum epistolae II, ad Titum epistola I, ad Philemonem epistola I, ad Hebraeos epistola I. Item Apocalypsis Johannis liber I. Item canonicae epistolae numero VII: Petri apostoli epistolae II; Jacobi apostoli epistola I; Johannis apostoli[h] *epistola I; alterius Johannis presbyteri epistolae II; Judae Zelotis epistola I.* **Explicit canon novi testamenti.**

Caput III.

5. *Item dictum est: Post has omnes propheticas et evangelicas atque apostolicas, quas superius deprompsimus, scripturas, quibus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, illud etiam intimandum putavimus, quod quamvis universae per orbem*[i] *diffusae catholicae Ecclesiae unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana ecclesia*[k] *nullis synodicis constitutis ceteris ecclesiis praelata est,*
Matth. 16, 18. *sed evangelica voce domini et salvatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus, inquiens, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni coelorum, et quaecunque ligaveris super terram, erunt ligata et in coelis, et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelis. Addita est etiam societas beatissimi Pauli apostoli vasis electionis, qui non diverso sicut*[l] *haeretici garriunt, sed uno tempore uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Caesare Nerone agonizans coronatus est: et pariter supradictam sanctam Romanam ecclesiam Christo domino consecrarunt, aliisque omnibus urbibus in universo mundo sua praesentia atque venerando triumpho praetulerunt.*

Eph. 5, 27. *Est ergo prima Petri apostoli sedes Romana ecclesia, non habens maculam neque rugam nec aliquid hujusmodi. Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco ejus discipulo et evangelista consecrata est. Ipseque a Petro apostolo in Aegyptum directus verbum veritatis praedicavit et gloriosum consummavit martyrium. Tertia vero sedes apud Antiochiam ejusdem beatissimi Petri apostoli habetur honorabilis, eo quod illic priusquam Romam venisset*
Act. 11, 26. *habitavit et illic primum nomen Christianorum novellae gentis exortum est.*

---

h) Ita optimi codices genuini decreti Damasiani $F^1 F^2 H^8$. Demum codices decreti Hormisdae Johannis apostoli epistolae III, id quod deinde in posteriores codices transiit, qui cum Gelasiano decreto canonem scripturae sacrae conjunxerunt. Ista autem, ut notum, sententia est s. Hieronymi de scriptor eccl. c. 19.

i) Ita $F^1 F^2 H^8$. Alii omittunt diffusae, moxque addunt catholica et apostolica (post Romana).

k) Baron. cum F^2 nonnullis synodicis ... sed et evangelica.

l) Non defuerunt etiam inter catholicos, qui Petrum et Paulum eodem quidem die sed non eodem anno coronatos senserunt (conf. Baron. ad a. 69 n. 3). Sed, ut Baronius a. 69 n. 4 probat, et numero et auctoritate praepollent, qui Damaso concinunt. Simul hinc clare efficitur Cresconianam collectionem Baronii nihil aliud esse quam nostrum Vallicellanum A 5. Nam quod ex ea pro Damasi concilio laudat fol. 236, revera in hoc codice invenitur.

Decretalis[a] Gelasii papae de recipiendis et non recipiendis libris.

Incipit[b] decretalis de recipiendis et non recipiendis libris, qui scriptus est a Gelasio papa cum LXX viris eruditissimis episcopis in sede apostolica urbis Romae.

Caput I.

1. Post propheticas et evangelicas atque apostolicas scripturas, quibus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est etc. (conf. supra Damasi *concilium Romanum* cap. III. usque ad finem *exortum est*)

Caput II.

2. Et quamvis aliud fundamentum nullus possit ponere praeter id, quod positum est, qui est Christus Jesus, tamen ad aedificationem sancta id est Romana ecclesia post illas veteris et novi testamenti, quas regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet scripturas, id est: 1 Cor. 3, 11.

Sanctam synodum Nicaenam trecentorum decem et octo patrum, mediante maximo Constantino Augusto[c].

Sanctam synodum Ephesinam, in qua Nestorius damnatus est consensu beatissimi Coelestini papae, mediante Cyrillo Alexandrinae sedis antistite et Arcadio episcopo ab Italia destinato.

Sanctam synodum Calchedonensem, mediante Marciano Augusto et Anatolio Constantinopolitano episcopo, in qua Nestoriana et Eutychiana haereses simul cum Dioscoro ejusque complicibus damnatae sunt[d].

Caput III.

3. Item opuscula b. Caecilii Cypriani martyris et Carthaginensis episcopi.

Item opuscula b. Gregorii Nazianzeni episcopi.

Item opuscula b. Basilii Cappadociae episcopi.

Item opuscula b. Athanasii Alexandrini episcopi.

Item opuscula b. Johannis Constantinopolitani episcopi.

Item opuscula b. Theophili Alexandrini episcopi.

Item opuscula b. Cyrilli Alexandrini episcopi.

Item opuscula b. Hilarii Pictavensis episcopi.

Item opuscula b. Ambrosii Mediolanensis episcopi.

Item opuscula b. Augustini Hipponeregiensis episcopi.

Item opuscula b. Hieronymi presbyteri.

Item opuscula Prosperi viri religiosissimi.

Item epistolam b. Leonis papae ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum destinatam; de cujus textu quispiam si usque ad unum iota disputaverit et non eam in omnibus venerabiliter recipit, anathema sit.

Item opuscula atque tractatus omnium orthodoxorum patrum, qui in nullo a sanctae ecclesiae Romanae consortio deviarunt nec ab ejus fide vel praedicatione sejuncti sunt, sed ipsius communicationis per gratiam Dei usque in ultimum diem vitae suae fuere participes, legendos decernit.

Item decretales epistolas, quas beatissimi papae diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas esse.

Item gesta sanctorum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus et mirabilibus confessionum triumphis irradiant. Quis ista catholicorum dubitet et majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus sed Dei gratia et adjutorio universa tolerasse? Sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana ecclesia non leguntur, quia et eorum qui conscripserunt nomina penitus ignorantur, et ab infidelibus vel idiotis superflua aut minus apta, quam rei ordo fuerit, esse putantur: sicut cujusdam Quirici[e] *et Julitae, sicut Georgii aliorumque hujusmodi passiones, quae ab haereticis perhibentur compositae. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana ecclesia non leguntur. Nos tamen cum praedicta ecclesia et omnes martyres et eorum gloriosos agones, qui Deo magis quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur.*

Item vitas patrum, Pauli, Antonii, Hilarionis et omnium eremitarum, quas tamen vir beatissimus Hieronymus descripsit, cum omni honore suscipimus.

---

a) Textum secundum probatissimos codices C^1 C^2 F^1 F^2 H^8 Fa Fc Fg Fm Fv restituimus, quamvis eorum notas singillatim afferre spatii hujus angustia vetet. Vix principalibus locis fontium rationes aut brevissimas explicationes addam, alia ad aliam occasionem demandans.

b) De variis inscriptionibus recole, quae in monito praevio cap. 2 n. 4 attulimus.

c) Ex Hormisdae exemplaribus in paucos Pseudo-Isidorianos codices (Capuc. Rotomag. et Remensem s. Remigii) et editos conciliorum (post Crab.) transiit additamentum: in qua Arius haereticus condemnatus est. Sanctam synodum Constantinopolitanam mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius haereticus debitam damnationem excepit.

d) Ex Hormisdae exemplaribus in editis conciliorum hic additur: Sed et si qua sunt concilia a sanctis patribus hactenus instituta, post horum auctoritatem et custodienda et recipienda et decernimus et mandamus.

e) Plures mss. Cyrici vel Cirici. Theodorus Iconii episcopus, qui sub finem imperii Justiniani vel non multo post sinceriora eorumdem martyrum gesta ex traditione virorum fide dignorum concinnavit (ed. Combefis „Illustr. Christi mart. lecti triumphi“ Paris. 1660 p. 234 ss., Ruinart „Acta primor. mart. sincera“ Aug. Vindel. a. 1802 t. II p. 123) fatetur, in actis illis, quae nunc Gelasius reprobat, verba exstare praetumida et inconsona nugasque a spe Christiana extraneas continentia, suspicaturque, illa Manichaeorum seu aliorum quorumdam haereticorum aliena sentientium arte confecta.

Item actus[f] *beati Silvestri apostolicae sedis praesulis, licet ejus qui conscripsit nomen ignoratur, a multis tamen in urbe Romana catholicis legi cognovimus, et pro antiquo usu multae haec imitantur ecclesiae.*

Item scriptura de inventione crucis dominicae et alia scriptura de inventione capitis Johannis baptistae novellae quidem relationes sunt et nonnulli eas catholici legunt. Sed quum haec ad catholicorum manus advenerint, beati Pauli apostoli praecedat sententia:
1 Thess. 5, 21. *Omnia probate, quod bonum est tenete.*

Item Rufinus vir religiosus plurimos ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed quoniam venerabilis Hieronymus eum in aliquibus de arbitrii libertate notavit, illa sentimus, quae praedictum beatum Hieronymum sentire cognoscimus; et non solum de Rufino, sed etiam de universis, quos vir saepius memoratus zelo Dei et fidei religione reprehendit.

Item Origenis nonnulla opuscula, quae vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus. Reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus renuenda.

Item chronica Eusebii Caesariensis atque ejusdem ecclesiasticae historiae libros: quamvis in primo narrationis suae libro tepuerit et post in laudibus atque excusatione Origenis schismatici unum conscripserit librum, propter rerum tamen singularum notitiam quae ad instructionem pertinent usquequaque non dicimus renuendos.

Item Orosium virum eruditissimum collaudamus, quia valde nobis necessariam adversus paganorum calumnias ordinavit historiam miraque brevitate contexuit.

Item venerabilis Sedulii paschale opus, quod heroicis descripsit versibus, insigni laude praeferimus.

Item Juvenci nihilominus laboriosum opus non spernimus sed miramur.

4. Cetera, quae ab haereticis sive schismaticis conscripta vel praedicata sunt, nullatenus recipit catholica et apostolica Romana ecclesia. E quibus pauca, quae ad memoriam venerunt et catholicis vitanda sunt, credidimus esse subdenda.

Caput IV.

Notitia librorum apocryphorum qui non recipiuntur.

Ariminensem synodum a Constantio Caesare Constantini Augusti filio congregatam, mediante Tauro praefecto, ex tunc et nunc et usque in aeternum confitemur esse damnatam.

5. Itinerarium nomine Petri apostoli, quod appellatur sancti Clementis libri numero X[g], *apocryphum.*
Actus nomine Andreae apostoli apocryphi.
Actus nomine Thomae apostoli[h] *apocryphi.*
Actus nomine Petri apostoli alius apocryphi.
Actus nomine Philippi apostoli apocryphi.
Evangelium[i] *nomine Matthiae apocryphum.*
Evangelium nomine Jacobi minoris apocryphum.
Evangelium nomine Petri apostoli apocryphum.
Evangelium[k] *nomine Barnabae apocryphum.*
Evangelia[l] *nomine Thomae, quibus utuntur Manichaei, apocrypha.*
Evangelium[m] *nomine Bartholomaei apostoli apocryphum.*
Evangelium[n] *nomine Andreae apostoli apocryphum.*
Evangelia[o], *quae falsavit Lucianus, apocrypha.*
Evangelia[p], *quae falsavit Hesychius, apocrypha.*
Liber de infantia Salvatoris apocryphus.
Liber de nativitate Salvatoris et de Maria vel obstetrice apocryphus.

6. Liber, qui appellatur Pastoris, apocryphus.
Libri omnes, quos fecit Leucius[q] *discipulus diaboli, apocryphi.*
Liber, qui appellatur Fundamentum, apocryphus.

---

f) Huc spectant libri Carolini II c. 13 (ed. Heumann Hannoverae 1731).

g) Editi post Crab. libri octo, C^1 H^3 Fm X^k libri numero novem, F^v numerum prorsus omittit. Est opus notissimum Recognitiones s. Clementis vel *Περίοδοι Πέτρου* nuncupatum (ed. Cotelier Patr. apost. I, 479 ss.). Qui deinde memorantur Actus Petri citantur ab Isidoro Pelusiota epist. II, 99, editi a cl. Tischendorf (Acta apostolorum apocrypha. Lipsiae 1851 p. 11 ss.).

h) C^2 (prima manu) H^8 F^v cum exemplaribus Hormisdae addunt libri X. Omnes hos actus apostolorum apocryphos edidit Tischendorf l. c.

i) Editi post Crabium hic praemittunt Evangelium nomine Thaddaei apostoli apocryphum, nescio qua auctoritate. Deinde C^2 F^2 H^8 X^k cum exemplaribus Hormisdae hic et in sequentibus semper Evangelia. Denique ordo singulorum in aliis codicibus alius.

k) Coustantius hoc delevit, non monens qua auctoritate. Retinemus cum C^2 F^2 Fm F^v H^8 X^k.

l) Coust. cum H^3 et ed. Evangelium. F^v Evangelium . . . quibus.

m) Plures mss. (etiam Fg H^3 K^4 O^2) cum exemplaribus Horm. Evangelia . . . apocrypha.

n) F^v omitt. C^2 delevit sec. manu Andreae et substituit Bartholomaei.

o) Hic confirmat Gelasius, quod Hieronymus praef. in evang. ad Damasum scripsit: Praetermitto eos codices, quos a Luciano et Hesychio nuncupatos paucorum hominum asserit perversa contentio; quibus utique nec in toto veteri instrumento post LXX interpretes emendare quid licuit, nec in novo emendasse profuit, quum multarum gentium linguis scriptura ante translata doceat, falsa esse quae addita sunt.

p) Deest in F^2 H^8. Fg F^v H^3 Evangelium quod apocryphum. Deinde in codicibus quibusdam Isicus, Isicius, Ysicius, Asycius, Esicius, Hysicius scribitur. F^v Eusicius et add. sec. manu et Lucius.

Liber, qui appellatur Thesaurus, apocryphus.
Liber de filiabus Adae[r] *Leptogenesis apocryhus.*
Liber, qui appellatur actus Theclae[s] *et Pauli apostoli, apocryphus.*
Liber, qui appellatur Nepotis[t], *apocryphus.*
Liber proverbiorum ab haereticis conscriptus et sancti Xysti nomine[u] *praenotatus apocryphus.*
7. *Revelatio, quae appellatur Thomae*[v] *apocrypha.*
Revelatio, quae appellatur Pauli, apocrypha.
Revelatio, quae appellatur Stephani, apocrypha.
Liber[w], *qui appellatur Transitus id est assumptio sanctae Mariae, apocryphus.*
Liber, qui appellatur Poenitentia[x] *Adae, apocryphus.*
Liber de Ogi[y] *homine gigante, qui cum dracone post diluvium ab haereticis pugnasse fingitur, apocryphus.*
Liber, qui appellatur Testamentum Job, apocryphus.
Liber, qui appellatur Poenitentia Origenis, apocryphus.
Liber, qui appellatur Poenitentia sancti Cypriani, apocryphus.
Liber, qui appellatur Poenitentia[z] *Jamnae et Mambrae, apocryphus.*
Liber, qui appellatur Sortes[2a] *apostolorum, apocryphus.*
Liber, qui appellatur Lusa[2b] *apostolorum, apocryphus.*
Liber, qui appellatur Canones apostolorum, apocryphus.
Liber Physiologus[2c] *ab haereticis conscriptus et beati Ambrosii nomine praesignatus apocryphus.*
8. *Historia*[2d] *Eusebii Pamphili apocrypha.*
Opuscula Tertulliani apocrypha.
Opuscula Lactantii[2e] *apocrypha.*
Opuscula Africani apocrypha.
Opuscula Posthumiani[2f] *et Galli apocrypha.*
Opuscula Montani, Priscillae et Maximillae apocrypha.
Opuscula omnia Fausti Manichaei apocrypha.
Opuscula Commodiani apocrypha.
Opuscula alterius Clementis Alexandrini apocrypha.
Opuscula Tascii[2g] *Cypriani apocrypha.*
Opuscula Arnobii apocrypha.
Opuscula Tichonii apocrypha.

---

q) C² (prima manu) cum exempl. Horm. Lucius, Atto Vercell. Seleucius. Haeretici hujus et actorum ab ipso conscriptorum meminere Innocentius I. ep. 6 n. 13, Augustinus de actis cum Felice Manichaeo II c. 6, (Evodius?) de fide contra Manichaeos c. 5, Photius cod. 114 (*Λεύκιος Χαρῖνος*).

r) Quaedam Horm. exempl. Judae hoc est leptogenesis. Ibidem varii mss. varie: Leptogenesibus, Leptogeneseos, Litogenesis, Liptogenesis, Lectogenesis, lectum geneseos, Lactogeneseos, Lectogeneseos, Lictogeneseos, Extrageneseos, lectione geneseos, editi geneseos vel adjectus Genesi. Illam *Λεπτογένεσιν* memorant Epiphanius haer. 39 n. 6, Hieronymus epist. 78 (ed. Migne), Cedrenus, Georgius Syncellus, alii.

s) Fv sec. manu addit vel Thollius.

t) Alii Nepotes, Nopotis, Nephothes. Est liber, quem Dionysius Alexandrinus impugnavit; conf. Eus. H. E. VII, 24.

u) Alii praesignatus, aut qui.. Sixti.. praenotatus est. Sunt Sixti Pythagoraei sententiae, quae a Rufino in latinum sermonem conversae a quibusdam ut Xysti Romani episcopi et martyris accipiebantur. Conf. Augustin. retractat II, 42, Hieronym. comment. in Jerem. c. 22, in Ezech. c. 18, epist. 132 ad Ctesiphont., Gennad. de vir. illustr.

v) C² Ic ed. add. apostoli. Forte hoc opus Thomae Manetis discipuli fuit. — Similiter paulo post quidam mss. Pauli apostoli ... sancti Stephani.

w) H⁸ Revelatio quae appellatur translatio id est adsumptio sanctae Mariae apocr. O²Xk (cum Colb. inf. not.) transitus sanctae Mariae apocr., cui add. idem Colb. Item assumptio etc. Opusculum istud sub nomine Meliti vel Melitonis Smyrnensis latum etiam Ps. Hieronymus de assumptione b. Mariae ad Paulam et Eustoch. memorat.

x) Est opusc. *Ἀποκαλύψεις τοῦ Ἀδάμ*; conf. Epiph. haer. 26 n. 8.

y) Alii aliter scribunt: de Eugiani (Eugea, Eugenii a, Eugenia, Vegenia, Eugia, Vegia, Ugia, Vigilia, Ogiae) nomine gigante (vel giganti), de Ugia nomen gigantis, qui vocatur Og gigantis, nom. Og gigantis. Porro *Γιγάντειος βίβλος* apud Phot. cod. 85 memoratur; conf. etiam Fabricius (cod. pseudepigr. v. t. Hamb. 1731) p. 799 sq.

z) Vid. Fabricius l. c. p. 813 ss.

2a) Ed. Pithoeus Cod. can. vet. eccl. Rom. Paris. 1687 pag. 370 ss.

2b) Ita praestantissimi omnes mss. At Ps. Isid. et ed. concil. Laus, Xk Lussa, Colb. Horm. Jussa, unde ed. coll. Hisp. Matrit. Jus. Hoc quidem constitutiones apostolorum (*Διαταγὰς* vel *διδαχὴν τῶν ἀποστόλων*) notari vix dubium. — Deinde de canonibus apostolorum censura deest in C² Fg Fv O.

2c) Conf. Vincent. Bellovac. specul. natur. VII, 63.

2d) Quum Gelasius Eusebii historiae libros superius non usquequaque renuendos et hic inter apocryphos praedicat, simili consilio utitur, quo Hieronymus epist. 62 ad Tranquillinum scribit: Ego Origenem propter eruditionem interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium etc., ut bona eorum eligamus vitemusque contraria, juxta apostolum dicentem: „Omnia probate, quod bonum est tenete."

2e) H³ Fa Fm Xk Lactantii sive Africani sive Firmiani apocr., et omittunt sequentia de Africano.

2f) Ig H⁸ omitt. et Galli, Fa omitt. et; H³ Gai. Hic notatur Severi Sulpicii Posthumiano et Gallo interloquentibus dialogus, in quo millenariorum errores Hieronymus animadvertit, quamvis nunc ab eis purgatus appareat (conf. Hier. in Ezech. XI, 36).

2g) Alii Tusci, Tassii, Tatii, Tarsi, Tharsi. Quum superius opuscula b. Caecilii Cypriani martyris episcopi Carthaginensis approbentur et in Hormisdae quidem exemplaribus dicantur in omnibus recipienda, restat, ut aut alterius Cypriani, qui pariter dictus sit Tascius, aut huic falso inscripta opuscula notentur. Ac martyrologium Romanum sub die 26 Septembris Cypriani martyris Nicodemiae memoriam agit, qui ante conversionem suam erat magus et suis magicis artibus (alios) dementare conabatur.

Opusculum[2h] *Cassiani presbyteri Galliarum apocrypha.*
Opuscula Victorini[2i] *Petabionensis apocrypha.*
Opuscula Fausti Regiensis Galliarum apocrypha.
Opuscula Frumentii Caeci apocrypha.
Centonem[2k] *de Christo Virgilianis compaginatum versibus apocryphum.*

9. Epistola Jesu ad Abgarum regem apocrypha.
Epistola Abgari ad Jesum apocrypha.
Passio Quirici et Julitae apocrypha.
Passio Georgii apocrypha.
Scriptura, quae appellatur Salomonis contradictio, apocrypha.

10. Phylacteria[2l] *omnia, quae non angelorum ut illi confingunt, sed daemonum magis nominibus consecrata sunt, apocrypha. Haec*[2m] *et his similia, quae Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Basilides, Hebion, Paulus etiam Samosatenus, Photinus et Bonosus, qui simili errore defecerunt, Montanus quoque cum suis obscenissimis sequacibus, Apollinaris, Valentinus, sive Manichaeus, Faustus Africanus, Sabellius, Arius, Macedonius, Eunomius, Novatus, Sabbatius*[2n]*, Caelestius*[2o]*, Donatus, Eustasius*[2p]*, Jovinianus, Pelagius, Julianus Eclanensis, Coelestius, Maximianus, Priscillianus ab Hispania, Nestorius Constantinopolitanus, Maximus Cynicus*[2q]*, Lampetius, Dioscorus, Eutyches, Petrus et alius Petrus, e quibus unus Alexandriam alius Antiochiam maculavit, Acacius Constantinopolitanus cum consortibus suis, nec non et omnes haeresiarchae*[2r] *eorumque discipuli, sive schismatici docuerunt vel conscripserunt, quorum nomina minime retinentur: non solum repudiata, verum etiam ab omni Romana catholica et apostolica ecclesia eliminata atque cum suis auctoribus auctorumque sequacibus sub anathematis insolubili vinculo in aeternum confitemur esse damnata.*

2h) Hac censura maxime collationes Cassiani propter dogmata sua Semi-Pelagiana plectuntur, quum de incarnatione libri VII ejusdem auctoris semper in summa catholicorum aestimatione essent.

2i) Alii aliter: Petabinensis, Pettachionensis, Pictavionensis, Pictarensis, Pictavensis, Pictaviensis, Pictabiensis, Pietabiensis. Petabium est urbs in Pannonia ad Dravium sita, ubi Victorinus episcopatum gessit. Ejus crebras expositiones millenariorum errore non vacare, s. Hieronymus comm. in Ezech. c. 36 animadverit.

2k) In editis longe supra n. 6 ante actus Theclae et Pauli praemittitur, et scribitur Centimetrum (Merl. Centon, Chiffl. Centones). Eamdem sententiam de hoc opusculo Probae uxoris Adelphii proconsulis tulit s. Hieronymus epist. 103 ad Paulinum, memorat Isidorus Hisp. de viris ill. c. 5.

2l) Contra ejusmodi phylacteria saepe ecclesiae patres fideles admonent; conf. syn. Laodic. c. 36, Agath. c. 68, Caesarius Arelat. in append. op. s. August. serm. 265 et 279.

2m) Vox haec et his solum ad proxima verba phylacteria etc. referenda est, non ad omnia pro apcryphis pronuntiata, quippe in quibus Gelasius plurima non usquequaque renuenda censebat.

2n) Alii Sambacius, Sabastius, Sabbastius. De hoc Sabbatio, qui ex Judaeo Christianus et a Novatianis presbyter factus novum inter schismaticos schisma paravit, conf. Socrates h. e. V, 21 et VII, 12 et 25, Sozomenus h. e. VII, 18.

2o) C¹ H³ cum Horm. exempl. Callistus, Xk Calistus, longe plures Celestus, Caelestus, Celertus. Quia cum Donato conjungitur, ille Celestius vel Celesius putandus est, qui una cum Botro schismati Donatistarum principalis quidam auctor exstitit. Conf. Optat. Milevit. de schism. Donat. I., Augustinus psalm. abeced. contra Donatist.

2p) Ita potiores mss. Alii Eustacius, Eustatius, Eustathius, Eustachius. Forte est ille episcopus Sebastenus satis notus.

2q) Fv et editi Unicus. Est ille Maximus Cynicus in conc. Constantinop. c. 3 et Damasi epist. 8. damnatus.

2r) Alii mss. haeresei (vel haeretici) haereseorumque discipuli, haeresei (vel haereses) haereseorum discipuli, haereseorum quas haeretici sive schismatici, haeresei haereses eorumque discipuli, editi haeretici eorumque discipuli.

Sigla codicum, qui in hac editione adhibiti sunt.

C¹ Colbertinus 784 (saec. VIII).
C² Lucanus 88 (ex aevo Caroli M.).
Di Colbertinus 3368 (s. X).
F¹ Reg. Paris. 3887. 3 (med. s. VIII).
F² Vatic. 5845 (s. VIII).
Fa Frisingens. s. Emmerani (s. VIII).
Fc Caesar. Vindob. 16 (s. VIII vel IX).
Fg Germanens. Fortunati (s. VII vel VIII).
Fm Florentinus s. Marci.
Fv Vatic. Palat. 493 (addit. s. VIII, cod. s. VII).
H³ Harlaeanus (Coust.)
H⁸ Vallicell. A 5 (s. IX.)
I¹⁶ Urgelitanus (s. X vel XI).
Ic Jurensis Chiffletii.
Ih Parisiensis Harduini.
Ip Vatic. 4587 (mscr. Perezii).
Iv Vatic. 1341 (s. IX).
K³ Remens. s. Remigii (s. VIII).
K⁴ Morbacens. (Coust.).
O collectio Ps. Isidoriana.
O¹ Vatic. 630 (s. XI).
O² Vatic. 1340 (s. XII).
O³ Navarreus (s. XII).
O⁸ Capucinor. Rotomag. (Coust.)
O¹¹ Beccensis (s. XI).
Om Venetus s. Marci 169 (saec. XV).
Ov Vatic. 1339 (Ballerin.).
V¹ Vaticanus Reginae 978 (s. X vel XI).
V² Vaticanus 3791 (s. XI).
X¹ Vaticanus 3832 (s. XI vel XII).
Xc Colbertin. 1463 (s. XI).
Xk Vallicellan. XVIII (s. XI).
Yb Veronens. 61 (saec. IX vel X).
Yc Casanat. D. IV. 23 (saec. XI).
Yo Vat. Pal. 584 (Ballerin.).
Yv Vatic. 1349 (s. IX).
Γ Coislinianus (Coust.)
Φ Collectio Anselmo dedicata.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Ant. Pohlmann, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Jobi librum interpretabitur dieb. Martis, Jovis et Saturni h. VIII—IX.
II. Utramque S. Pauli ad Corinthios epistolam explicabit dieb. Lunae, Mercurii et Veneris h. VIII—IX.
III. Repetitiones exegeticas instituet dieb. et horis definiendis.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O.

I. Apologeticen tradere perget dieb. Lunae et Jovis h. II—III, Saturni h. X—XI.
II. De ss. Sacramentis et de rebus post mortem futuris disseret dieb. Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris h. X—XI.
III. Theologiae moralis reliquam partem tractabit dieb. Martis et Veneris h. II—III.

Dr. Andr. Thiel, P. P. O.

I. Historiam ecclesiasticam aevi recentioris enarrabit quotidie h. IX—X.
II. De antiquitatibus ecclesiasticis disserere perget dieb. Martis et Veneris h. VI—VII.
III. Repetitiones et exercitationes de historia ecclesiastica instituet die Jovis h. VI—VII.

Dr. Franc. Dittrich.

I. Historiam literariam scriptorum ecclesiasticorum tradet ter per hebd. horis definiendis.
II. Constitutiones et canones Apostolorum explicabit bis per hebd. horis deff.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Jos. Bender, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Historiam generis humani primaevam resque populorum Orientalium enarrabit ter per hebdomad. h. VIII—IX.
II. De praecipuis historicis eorumque scriptis disseret bis p. hebd. h. VIII—IX.
III. Selecta historiae capita critice tractabit semel p. hebd. hora definienda.
IV. Primordia ac fata linguae Theotiscae exponet semel p. hebd. hora defin.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O.

I. Historiam et naturam disciplinarum mathematicarum inde ab antiquo aevo usque ad nostra tempora adumbrabit dieb. Lunae et Jovis h. XI—XII.

II. Geographiam mathematicam, physicam et Atmosphaerologiam tradet et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet dieb. Martis et Veneris h. XI—XII.

III. De Chronologia et de Calendario Juliano et Gregoriano disseret bis per hebd. horis defin.

IV. Calculum differentialem et integralem tradet et problemata geometrica et mechanica calculi integralis ope solvenda proponet dieb. Lunae et Jovis h. II—III.

Dr. Franc. Beckmann, P. P. O.

I. Aeschyli Septem adversus Thebas interpretabitur ter per hebd. h. X—XI.

II. Selectas Romanorum satiras explicabit bis per hebd. h. X—XI.

III. De rebus mythologicis disseret bis per hebdom. horis definiendis.

IV. Exercitationes philologicas instituet semel per hebd. hora def.

Dr. Frid. Michelis, P. P. E.

I. Psychologiam docebit dieb. Lunae, Mercurii, Veneris h. IX.

II. Metaphysicen dieb. Martis, Jovis, Saturni h. IX.

III. Aristotelis libros de anima interpretabitur horis definiendis.

IV. Regni vegetalis formarum evolutionem propositis formis typicis demonstrabit horis deff.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei, cui praeest **Prof. Dr. Thiel**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt.**

Renuntiatio

judiciorum de certamine literario a commilitonibus Lycei Hosiani anno superiore inito, et quaestionum in nunc currentem annum propositarum promulgatio.

Ordo Theologorum ex stipendio Scheill-Busseano iteraverat quaestionem: „*Sancti Cypriani doctrina de Ecclesia ex ipsius scriptis proponatur.*" Unus tantum e commilitonibus hoc argumentum tractandum sumsit commentatione inscripta hisce Salvatoris verbis: „Et fiet unum ovile et unus pastor" (Joh. 10, 16). Auctor opusculi rem suam recte disposuit lucideque tractavit et, etsi non satis per singulas partes executus est (desideratur prae primis accuratior de vi et ratione pontificatus s. Petri inquisitio), tamen generatim ita absolvit, ut Ordo theologicus illum laude et praemio dignum judicare potuerit. Reclusa schedula apparuit nomen

Franciscus Quandt, stud. philos.

Idem Ordo praeterea ex instituto regio hanc promulgaverat quaestionem: „*Deuterocanonici qui dicuntur V. T. libri quantum valeant apud s. Hieronymum.*" Libellus de hac materia compositus, signatus s. Pauli verbis: „*Πάντα δὲ εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω*" (1. Cor. 14, 40), licet s. Patris de illis libris sententiam nec satis accurate erutam nec omni ex parte dijudicatam ostendat, tamen quum ex auctoris sano maturoque judicio tum ex disputationis et dictionis perspicuitate et facilitate laudandus est. Quare Ordo Theologorum decrevit auctorem praemio constituto ornare. Resignata schedula exhibuit nomen

Theodorus Feuder, stud. theol.

Ab Ordine Philosophorum ex instituto regio quaestio mathematica proposita erat haec:

„*Ill. Gauss in opere perfectissimo, Theoria motus corporum coelestium pag. 51, de triangulo sphaerico relationes sequentes demonstratione suppressa protulit:*

$$I.\quad \frac{\sin \frac{1}{2}(b-c)}{\sin \frac{1}{2}a} = \frac{\sin \frac{1}{2}(B-C)}{\cos \frac{1}{2}A}$$

$$II.\quad \frac{\sin \frac{1}{2}(b+c)}{\sin \frac{1}{2}a} = \frac{\cos \frac{1}{2}(B-C)}{\sin \frac{1}{2}A}$$

$$III.\quad \frac{\cos \frac{1}{2}(b-c)}{\cos \frac{1}{2}a} = \frac{\sin \frac{1}{2}(B+C)}{\cos \frac{1}{2}A}$$

$$IV.\quad \frac{\cos \frac{1}{2}(b+c)}{\cos \frac{1}{2}a} = \frac{\cos \frac{1}{2}(B+C)}{\sin \frac{1}{2}A}.$$

Multi post Gaussium mathematici eidem problemati operam suam navaverunt, et harum formularum demonstrationem, methodo analytica i. e. per transformationem functionum trigonometricarum et ellipticarum dederunt; deest igitur harum relationum adhuc demonstratio stricte geometrica. Ordo Philosophorum desiderat itaque commentationem, quae historiam harum formularum, demonstrationem stricte geometricam, nec non formam, in quam relationes istae in triangulo plano abeunt, exponat."

Reddita est Ordini commentatio cum dicto: „Problemata difficiliora semper juvat pluribus viis aggredi, nec bonam spernere etiamsi meliorem praeferas" (Gauss, Theor. mot. corp. coel. pag. 89).

Commentationis hujus auctor specimen omni commendatione dignum proposuit. Historiam harum formularum e fontibus hausit et cum laude exposuit, demonstrationem stricte geometricam plenam et luculentam dedit, et formam harum relationum in triangulo plano recte indicavit. Probata itaque auctoris doctrina Ordo philosophicus ei praemium assignavit. Aperta charta innotuit

Augustinus Fugh, stud. theol.

Novae quaestiones commilitonibus Lycei Hosiani tractandae proponuntur hae:

ab Ordine Theologorum

1. ex stipendio Scheill-Busseano: „*S. Augustini in artem oratoriam sacram merita;*"
2. ex instituto regio: „*Hilarii Pictaviensis de ss. Trinitate doctrina;*"

ab Ordine Philosophorum

ex instituto regio: „*L. Annaei Senecae de Deo doctrina exponatur atque examinetur et dijudicetur.*"

Omnes certantium commentationes sermone latino scriptae et more consueto signatae ante d. XV. Januarii a. MDCCCLXVII Rectori Lycei tradendae sunt. Praemia victoribus constituta XXV Impp.

Promulgatum in sollemnibus Serenissimi Regis Guilelmi nataliciis d. XXII. Martii a. MDCCCLXVI.